


1746  
JULII RE RUM  
RECEPTARIUM


1746  
Ferdin. Excellenz. Professor Juridic.  
an der Universität zu Halle

FRANZ  
FRIEDRICH SCHMIDT

JOHANNES MACRINUS

Leipzig





*Part*



1662 20 18.  
8 2 2

I. N. C.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JURE THESAURI,

AD  
L. UN. C. DE THESAUR.  
QVAM  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULTATE  
JURIDICA  
IN  
INCLYTA LEUCOREA  
PRÆSES  
DIETERICUS CCG/J.U.D.

ET  
SAMUEL Schütz

AUTOR & RESPONDENS  
MECKLENBURGENSES  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTUNT ATQVE  
EXHIBENT  
IN  
AUDITORIO FCTORUM  
DIE XX. AUGUSTI.

\*\*\*\*\*  
WITTENBERGÆ,  
Typis Johannis Haken, MDC LXII.



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
PRINTED IN GREAT BRITAIN  
BY THE UNIVERSITY PRESS, CAMBRIDGE  
1954

11







L. unic. C. de thesaur.

IMP. LEO A. EUTHYCHIO PRÆF. PRÆT.

**N**emo in posterum super requirendo in suo, vel alieno loco thesauro, vel super invento ab alio; vel a se, effusis precibus pietatis nostra benignas aures audeat molestare. Nam in suis quidem unicuique, dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa, thesaurum (id est condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia) quarere, et invento uti liberam tribuimus facultatem, ne ulterius Dei beneficium invidiosa calumnia persequatur, ut superfluum sit hoc precibus postulare, quod jam legibus permissum est, & Imperatoria Majestatis videatur praevenire liberalitas postulanda. In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, imo nec volentibus, vel ignorantibus dominus opes abditas suo nomine perscrutari. Quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut praefer hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerarius legis saluberrime puniatur. Quod si forte vel arado, vel aliàs terram alienam colendo, vel quocumque casu, non studio perscrutandi, in alienis locis thesaurum invenerit, id quod repertum fuerit, dimidiatam retentam, alteram dimidiatam datam, cum locorum domino partiatur. Ita enim eveniet, ut unusquisque suis fruatur, & non inhiat alienis. Dat. VI. Id. Octobr. Leone juniore A. Cos.

A 2

CAPUT



# CAPUT I. QVID SIT THESAURUS, ET CUJUS JURIS ACQUIRENDI MODUS.

- |  |   |
|--|---|
| <p>I. Jus dominij à Deo in res creatas accepit protoplastus.</p> <p>II. Modi acquirendi ejusdem tum jure Gentium, tum jure Civili invaluere.</p> <p>III. Jure Civili &amp; singula res, &amp; universa acquiruntur.</p> <p>IV. Modi acquirendi jure Gentium dominii ad duos com-</p> | <p>modè revocantur.</p> <p>V. Facto &amp; occupatione nostras acquiritur thesaurus.</p> <p>VI. Ejus Etymologia.</p> <p>VII. Homonymia.</p> <p>VIII. Definitio.</p> <p>IX. Legum ac morum varietas circa inventionem thesauri.</p> |
|--|---|

**J**us dominij, quod in res creatas à Creatore sub orbis infantiam nactus est primus mortalium Genes. I. capite, COMMUNIONEM RERUM OMNIUM, proprietate antiquiorem, satis refutat, quam Poëtarum & Historicorum res judicatae ostentant passim, uti edocent D. Georg. Adam. Struv. *cap. 1. Syntagm. jur. Feudal. aphor. 1. in exeg. D. Joh. Strauch. dissertat. de imper. mar. cap. 1.* quibus adde Conrad. Summenhart *de contrahib. licit. atq. illicit. imcl. 1. qv. 5.* Sed nec communionem ejusmodi suspicari licet, quæ proprietatem pluribus pro indiviso, usum singulis communem præbuerit. Id quippe si concedam, vel invitus fatear necesse est, haud potuisse rei jam occupatæ partem aliquam denuo privatim occupantis fieri. Sicubi autem communico quædam inter primos generis humani propagatores enituit, ea non fuit justitiæ, & imperata à Deo, sed arbitraria, liberalitatis, & meræ facultatis.

II. Licuit itaque mortalibus ab hac, quam sponte admisit proprietate, communiione introductis dominii acquirendi modis recedere, & proprietatem à Deo concessam arripere ACTU. Derivare autem illos placuit non ex naturali tantum, sed & civili ratione, *Vinn. præf. tit. Instit. de usucap. ut inde*

Jcti

¶ Hi modos alios JURI GENTILUM, alios JURI CIVILI acced  
pros ferant, dum tamen significationem utriusque juris ed tra  
hamus, quod expedit, præunte Hahnio in *D. de acquir. rer. do  
min. n. 8. Junge Grot. lib. 2. de J. P. & B. c. 8. n. i.*

III. Jure Civili non modò acquiruntur RES SINGU  
LÆ, sed & UNIVERSÆ. Non minus autem hæc spectandi  
MODI IPSI, & causæ acquirendi, quàm UNIVERSITAS AC  
QUISITIONIS. Nam & per titulos naturâ suâ singulares non  
nunquam res universæ parantur, ut egregiè monet Vinnius, &  
Ludwell. *Comm. ad §. fin. tit. Instit. per quas person. cuius acquir. sed*  
non idem jus in universum acquirenti tribuunt, quod modò  
acquirendi naturâ suâ universales.

IV. Ad modos autem acquirendi juris Gentium quod at  
tinet, eos Ludwellus *ad §. 12. tit. Instit. de rer. divis. ad quatuor*  
summa genera revocat, occupationem nempe, accessionem,  
specificationem, & traditionem. Magis concisè Hahnus in *D.  
de acquir. rer. domin. n. 8.* duas constituit acquirendi causas, oc  
cupationem sive apprehensionem, & accessionem. Malim  
tamen ego astipulari Vinnio, qui *ad §. ii. Instit. de rer. divis. n.  
4.* inculcat, jure Gentium vel FACTO NOS IRO sive OCCU  
PATIONE nobis acquiri dominium, vel VI & POTESTATE  
REI NOSTRÆ, sive ex ea nascatur quocquam, sive accedat  
illi.

V. Ad FACTUM & OCCUPATIONEM nostram perti  
net INVENTIO THESAURI, de cujus jure præsentem dispu  
tationem elaborare decrevi mecum, ne Papinianista aliquis  
in *his que sequuntur* videretur. Inter *thesauri* quip  
pe sunt thesauri, id est pecuniæ, quarum dominus ignoratur.  
*Quod autem non appareat, pro eo est quasi non sit. Quare & the  
sauri naturaliter sunt inventoris, i. e. ejus qui loco moverit, appre  
benderit,* ex ore Grotii loquor *2. de J. P. & B. 8. n. 7.* Confer Har  
precht. *Comm. Instit. ad §. 39. de rer. divis. n. 35. & seqq.* ubi & dis  
sentientium argumenta excutit & enervat. Scilicet acquisi  
tio possessionis in apprehensione rei, conjuncta cum affectu

eam pro sua tenendi, consistit, l. 1. §. 3. D. de acquirend. possess.  
Neq; tamen necesse est, ut opera manuum, aut pedum semper  
interveniat, licet hæc ratio acquirendæ possessionis maximè  
naturalis sit, sed & actus quicumque alius, præter animum pos-  
sidendi, nonnunquam sufficit, qui vice corporalis apprehen-  
sionis fungatur, Vinn. Comm. Instit. ad §. 5. de interditt. n. 6. Di-  
stingvam itaq; cum D. Joh. Strauch. diff. 6. ad jus Justinian. aphor.  
18. 19. inter APPREHENSIONEM VERAM, & FICTAM. Hæc  
porro fit vel rem ex parte, vel planè non contingendo, dum  
actu alio intercedente apprehensa putatur. At verò in rebus  
nullius, quibus certo respectu annueramus thesaurum, verà  
apprehensione opus est, Harprecht. diff. loc. n. 36. Carpzov. juria-  
prud. forens. pars. 2. constit. 53. def. 7. n. 2. Anton. Gomez. in L. Tauri 45.  
n. 47.

VI. Sed enim anteqvam abripiar ad L. un. C. de thesaur.  
tractationem, etymologiam, & nonnulla alia præfabor. Quam-  
vis autem Connan. 3. Comm. jur. Civ. cap. 4. & Donell. 4. Comm.  
14. & qui eos sequitur, Joh. Harpr. Comm. Instit. ad diff. §. 39. n.  
1. thesaurum inde dici putent, quod εἰς ἀνεῖρον, in crasti-  
num sit repositus, ut sit θεοῦ εἰς ἀνεῖρον, propius tamen vero  
est, iudicio Vinnii ad §. 39. de R. D. n. 1. vocem esse conjunctã  
ἐκ τῆς θῆκας ἢ ἀνεῖρον, ut sit conditorium pecuniæ. Hoc enim  
nomine veteres Græci pecuniam vocabant. At Rittershusio  
Comm. Instit. ad diff. §. thesaurus simpliciter ἀνεῖρον τῆς θεοῦ  
appellari videtur, quod minus probò.

VII. Etymologiam homonymia excipit. Variè enim u-  
surpatur thesauri vocabulum, imprimis verò dupliciter, expli-  
cante Arnifzo lib. 3. de jurib. Majest. cap. 6. n. 21. Primò enim  
denotat rem quamcumq; in futurum sepositam, cujus dominus  
non ignoratur, l. 22. pr. D. famil. erciscund. l. 15. D. ad exhibend. Se-  
cundò vox thesauri exprimit condita ab ignotis dominis tem-  
pore vetustiori mobilia, l. un. C. de thesaur. sive ut in l. 2. C. Theo-  
dos. tit. de thesaur. legimus, monilia. Et hæc acceptio præ-  
sentis est loci, à qua communis & popularis loquendi consue-  
tudo non abhorret. Alias quoque thesaurus γαστροπυλάκιον id  
est locum in quo opes asservantur, significat. Hinc per trans-  
latio-

lationem Cicer. *r. de Orat.* memoriam rerum omnium thesaurum commendat. Et Quintilian. Lib. XI. cap. 2. *Omnia disciplina memoria constat, frustra q̄ docemur, si quicquid audimus, praeterstuat, neq̄ immeritò thesaurus hic eloquentia dicitur.* Nonnunquam hoc sensu in deteriorem sumitur partem, ut apud Plaut. in *Amph. & Mercat.* thesaurus stupri, thesaurus mali legitur. In textu porro Landrechtis *lib. 1. art. 35.* per thesauros reconditæ auri argentiq; venæ, regalibq; additæ, intelliguntur, ut per suos Deputatos exposuit Elect. Augusty *part. 2. cõstit. 53.* Sed n. Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 20. tb. 2. lit. G.* explicatione hanc & à proprietate verborum, & à sententia juris Saxon. alienam judicat. Denique Alex. ab Alex. *lib. 3. genial. diæ. cap. 5.* quod de diversis delictorum pœnis apud diversas gentes inscribitur, apud Messenios carcerem fuisse memorat THESAURI nomine celebrem, locum sub terra quadrato saxo, qui tam immanis fuerit, & sævus, ut neq; ventum, neq; aurâ acciperet. Jure Civili carcer pro pœna non est, *Habn. in D. de pœn. n. 4.* Moribus verò nostris diversu obtinet, teste Magnif. D. Bened. Carpz. *part. 3. pract. crimin. qv. 130. n. 8. 9.* modò carcer locus sit tolerabilis, non subterraneus, & horribilis, qui infestetur à diabolis juxta ac serpētib; ut ad *Dissoxyptav* subinde instimulet. Sed à diverticulo in viam redeo, thesaurum, uti hic de eo tracto, finitione exposturus.

II X. Occurrit autem hæc Jcti Pauli in *l. 31. D. de acquir. rer. dom.* quod thesaurus sit vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Consonat ista Cassiodori *lib. 6. var. cap. 8.* describentis thesaurum depositivam pecuniam, quæ longâ verustate competentes dominos amisit. Patec inde simul discrimen inter inventionem thesauri, rerumq; litoralium, quia hæc nunquam ullius fuerit, *Harprecht. Comm. ad S. 39. tit. Instit. de rer. divis. n. 2.* Restringendum quoq; erit ad rem mobilem pecuniæ vocabulum, & talem quidem, quæ diuturnitate temporis non evanescat. Quamvis enim cæteroq;vi res etiam immobiles cum H. hnio in *D. de postri n. 4.* Vinnio & Ludvvello *ad S. 3. Instit. quib. mod. re contrah.*

arbitr. oblig. deponi, i. e. custodiae alicujus commendari posse  
arbitr. attamen ratione subjectae materiae res immobilis de-  
poni omnino nequit. *Conf. Gadd. ad l. 4. D. de V. S.*

IX. Novissimum esto, quod licet inventio thesauri ju-  
re Gentium alicui dominium facto & occupatione sua adjici-  
at, nihil tamen obstat, quo minus legibus, aut moribus ali-  
ud constitui possit, uti capite ultimo demonstrare annitar.  
Ira occupatio ferarum, quam venationem appellamus, subdi-  
tis plerisque hodie non injuria est adempta, *Frantz. exerc. 4. qv. 2. Facin. 1. controv. jur. cap. 1. Arnif. lib. 3. de jurib. Majest. cap. 3. Grot. 2. de J. P. & B. 2. n. 5. & quidem jure imperii, vel superiori-  
tatis, Job. Strauch. diss. 6. ad jus Justin. privac. apbor. 30. Violatio-  
nem tamen juris illis Principibus assignati poenam mortis dignam æ-  
stimare vereor, quod & Frantzio placet *diss. exerc. qv. 3. nisi al-  
liud quid concurrat. Vid. Magnif. D. Carpov. part. 2. pract. crimin. qv. 34. n. 26. & seqq. n. 33. & seqq.* Eadem ratione jus circa the-  
saurum variare potest, & variavit passim, testibus Grotio 2. de  
*J. P. & B. c. 8. n. 7. & Arnif. eod. lib. cap. 6. n. 7.* Sed enim, ne i-  
sta morer placita, quæ vel ob ademptos penitus thesauros, vel  
ob concessam inventori quartam, vel quintam tantum partem  
non omnibus arrident, quid in L. un. C. de thesaur. æquum hac  
in re visum fuerit explicare aggredior.*

## CAPUT II. DE THESAURO IN PROPRIO FUNDO INVENTO.

I. Sectio L. un. C. de thesaur. in  
duas partes.

II. In thesauro jure Gentium  
occupando, & nostro facien-  
do non idem servatur, quod  
in cæteris rebus, quæ nullius  
sunt.

III. Lex unica à quo promulga-  
ta.

IV. Superflua à Principe petitur,  
quod jure permittitur.

V. Investigatio thesauri alia licet  
est, illicita alia.

VI. The-

*VI. Thesauro licite reperto sui  
integrum est.*

*VII. Sed & aliorum usus cum  
consecrare.*

*VIII. Thesaurus est Dei benefi-  
cium. Et fortuna donum.*

*IX. Thesaurus, in domo vendita  
ab emptore repertus, emptoris  
est, non venditoris.*

*X. Venditor ob inventum ab em-  
ptore thesaurum lesionem ul-  
timæ dimidium allegare nequit.*

*XI. Quid si quis, sciens thesau-  
rum, fundum emerit?*

*XII. Quid si thesaurus in fundo*

*lege reciproca venditionis em-  
pto repertus?*

*XIII. Dominium minus plenum  
aliud directum est, aliud uti-  
le.*

*XIV. Ex quibus posterius quoad  
jus thesauri preponderat.*

*XV. Quid si directus dominus,  
aut extraneus forte invenerit  
thesaurum?*

*XVI. Investigatio illicita thesau-  
ri quoniam?*

*XVII. Quæ ejus pœna?*

*XVIII. De virgula Mercuriali  
nonnulla.*

I. In duas autem partes legem istam de thesauris u-  
nicam dispescendam esse autumo, quarum PRIMA tractet  
de thesauro in proprio fundo invento, SECUNDA de eo, quem  
quis in alienis terrulis reperit. Primam partem hoc capite ex-  
cutiam & scrutabor, quoad ejus facere poterò, pro tenuitate,  
ingenii, accuratè.

II. Enimvero thesaurum pertinere ad regulam juris Gen-  
tium de rebus nullius, dextre ad mentem Hahnii in *D. de rer.  
divis. n. i.* & Schneidevini *Comm. Instit. tit. de rer. divis. ad §. 7.* in-  
tellectis & distinctis, superiori capite innotuit. Neq; tamen,  
in thesauro occupando, & acquirendo idem servatur, quod in  
cæteris rebus, quæ nullius sunt. Nam cætera res hujus generis  
totæ occupantium fiunt, sine consideratione loci, datæq; ope-  
ræ. At in thesauro aliud deprehendimus. Rationem alibi in-  
vestigare conabor.

III. Magis ad rem præsentem pertinet, à quoniam lex hæc  
promulgata fuerit? A plerisq; Imp. Leonem auctorem circum-  
ferri comperior. Alii cum Leone Zenonem conjungunt, imò  
Zenonem etiam Leoni præmittunt nonnulli, teste Gothofr. *ad ru-  
bric.*

B

*bric. hujus i.* Hoc autem an rectè fiat, & serici Imperatorum congruat, subdubito. Nam, si fidem mereatur Robert. Bellarm. *in Chronolog.* & Marc. Zuerius Boxhorn. *in histor. universal.* Leo præcescit Zenonem, cum Leo Thrax imperare cœperit anno CCCCLVII. gener autem Leonis Zeno anno CCCCLXXIV. Aliàs diffiteri nolim, ab Imperatoribus Rom. nonnunquam fuisse assumptos Imperii Collegas, *Cyriac. Lent. in August.* Inter præcipua est exemplum Antonini Philosophi, & Lucii Fratris, cujus vitia ille celavit sapientissimè, teste Benevenuto de Rambaldi *libro Augustali.*

IV. At quisquis demum autor fuerit legis nostræ ex aliorum mente, ego Leonem Imp. præferre malim, qui vetuit *super requirando in suo loco thesauro, vel super invento ab alio, vel à se effusis precibus pietatis sua benignas aures molestari.* Nam, ante istam constitutionem nec in proprio quidem fundo datâ operâ thesauros quærere, nisi indulgente speciatim Principe, integrum erat, *Perez. in C. tit. de thesaur. n. 3.* Adde Maximilian. *Faust ab Wschaffenburg consil. pro exarvio class. 10. conf. 25. ord. 790.* Postquam verò facultas ea data fuit, aut, ut verius loquar, restituta, ulteriori impetratione superferri poterat, imo debebat, ne gravissimos Principis labores quis interrumperet, & tantum non turbaret. Sed extra casum ejusmodi preces subditorum Principi molestas videri nolim, ne eandem cum Demetrio experiatur fortunam. Hic enim, ut ex Plutarcho *in Demetr.* retulit D. Carpov. *de L. Reg. German. cap. 14. sect. 2. n. 3.* collectas in sinum subditorum supplices literas projecit de ponte in fluvium, atq; hæc ipsam ob causam postea ab iisdem dejectus est imperio. Cæterum existimabis fortè, nec ante Constitutionem hanc Leonis debuisse precibus impetrari, quod jure competeat. Inventio quippe, & indagatio thesauri modus est acquirendi juris Gentium. Non ergo potuit, salvâ æquitate, libertas ista restringi, aut dirigi Principis arbitrio ac nutu. In promptu responsio est, quod *acquisitionis naturalis sit thesauri inventio, ejusdemq; investigatio, quamdiu lex civilis nulla intercedit.* Cum autem lex Civilis aliud constituit, e-

am



am observari debere ipsum jus Natura dicitur. Lex enim civilis  
quonquam nihil potest precipere, quod jus Natura prohibet, aut  
prohibere, quod precipit, potest tamen libertatem naturalem circum-  
scribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum domi-  
nium naturaliter acquirendum vi sua antevertere, Grot. 2. de J. P. &  
B. cap. 2. n. 5.

V. Neque tamen in suo loco requirendi thesauri licenti-  
am ad scelera & puniendae sacrificia, aut aliam legibus odiosam  
artem extendi passus est Leo Imperator, ut proinde distinguen-  
dum mihi sit INTER INVESTIGATIONEM THESAURI LI-  
CITAM, atque ILLICITAM.

VI. Quod licitam concernit, ea perinde acquiritur the-  
saurus, ac si casu fortuito inventus fuisset. Tribuitur enim ab  
Imperatore invento utendi libera facultas. Scilicet omnibus,  
quae in mundo sunt, UTI convenit, non FRUI. Dicimur enim  
ab Augustino lib. 1. de doctrin. Christian. cap. 3. eo frui bono, cui a-  
more nostro inhaeremus propter se ipsum, quae bonum homi-  
nis Deus est. Uti vero homo perhibetur eo bono, quod ad  
obtinendum illud refert, quo frui convenit. Inde Petrarcha :  
*Si honestis etiam rebus frui vetitum, quanto magis inhonestis &*  
*rurpibus, lib. 1. de remed. utr. fort. dial. 18.* Alio tamen sensu verbis  
utendi, & fruendi utuntur JCTI, jus minus plenum, aut plenius  
in rebus alienis denotari.

VII. Dum autem libera utendi facultas tribuitur inventori  
thesauri, simul etiam permittitur, ut si quis forsan sat opulentus non  
indigeat thesauro, eum aliorum usibus consecrare possit. Imo  
valde pium erit, si thesaurus ad pias causas destinatur, quod  
alias circa rem inventam, cujus dominus ignoratur, Grotio pla-  
cet 2. de J. P. & B. c. 10. n. 11. & Treutlero vol. 2. disp. 20. th. 2. lit. H.  
Dixi, POSSE thesaurum inventum aliorum usibus consecrari,  
non DEBERE. Ex dominio enim nemo jus habet praeter domi-  
nium.

IX. Dehinc ad rationem hujus constitutionis stylum  
verto, quae in eo posita est, quod thesaurus sit DEI BENEFICI-  
UM, ab invidiosa calumnia ideo removendum. Agnovit idem.

Tamberlanes Scythia, referente Arniseo *lib. 3. de jurib. majest. at. cap. 6. n. 26.* cum nec suam, nec suorum imaginem deprehenderet in thesauro, in quem arando impeggerat rusticus. Alibi, *nimirum in l. 63. §. 1. D. de acquir. rer. domin.* FORTUNÆ DONUM thesaurus appellatur, cui tamen ne nimum tribuat inventor, sed eo cum ratione utatur, Petrarca svasor est *lib. 1. de remed. u. triusq. fortun. dial. 55.* In multis enim non faciunt repentine ope desiderium, imo nec mitigant, sed accendunt, ut crescent auro crescat auri sitis, & quærendi studium, minuaturnq; virtus. Sed & ideo thesaurus in fundo proprio quæstus, & inventus cedit inventori, quod simile vero sit, eum à majoribus suis conditum esse. Hæc enim ratio quoq; facit, ut in alieno reperti dimidium concedatur domino soli, quæ de re infra pluribus agendum.

IX. Illa porro huic capiti inferenda controversia est, an thesaurus in domo vendita ab emptore repertus ejus sit, num venditoris? Enimvero licet non patiar MODOS ACQVIRENDI DOMINII cum MODIS QUÆRENDÆ OBLIGATIONIS confundi, nonnunquam tamen concurrere videntur, si spectes finem contractuum nonnullorum remotum & secundarium. Atque inde cum venditioni subsit obligatio dandi, *l. 11. §. 2. D. de action. empr. in effectu dominium transferre tenetur venditor, l. 75. §. fin. D. de verbor. oblig.* Translato autem in emptorem per traditionem ædium dominio, thesaurum ei acquiri necesse est, in suo inventum, *l. 67. D. de rei vindic.* Adde Hahn. in *D. de contrab. empr. n. 8.* Perez. in *C. tit. de thesaur. n. 9. n.* Frantzkium in *D. de action. empr. n. 211. 212.*

X. Igitur nec beneficio l. 2. C. de rescindend. venditione, quasi ultra dimidium læsus, nisi potest venditor ob thesaurum insignis valoris ab emptore inventum, *Fachin. lib. 2. controu. jur. cap. 20. controu. 4.* Neque enim possedit illum, cum ignoraret, ubi esset. At dixeris, cum fundo antea possessio videri etiam possessum fuisse thesaurum. Respondeo ex veteri Sabini sententia in *l. 3. §. 3. de acquir. possess.* thesaurum non eadem possessione, quæ locum ipsum possideri, & sic quasi propriam omnino suo

nōmine retinere speciem, à fundo separatam, ut in pretio se-  
lūsum ingemiscere tacto minus audeat venditor. Scilicet  
cum lex mensura sit actionū humanarū, ut illis homogenea  
esse debeat, eaq; præcipere, quæ moraliter in Rep. per actio-  
nes civium obtineri valent, in emptionibus venditionibus ex-  
actissimam proportionis Arithmeticæ symmetriam non usq;ve  
adeo imperat, ne, dum unum fugit, in contrarium currat viti-  
um. In minima itaq; lesione connivet, nec summam permit-  
tit, sed in medio consistit, hoc est circumventionem infra  
dimidium tolerat, ut nervosè docet Frantzk. in *D. de contrab.  
empt. n. 245. & seqq.* At venditor nullam omnino lesionem hoc  
casu allegare potest, cum iusta rerum pretia à præsentī æstima-  
tione pendeant, id est ea, quæ fuit tempore contractus, quo &  
venditorem, & emptorem latebat thesaurus. Junge Perez. in *C.  
tit. de thesaur. n. 10.*

XI. Cæterum quid si quis prædium iccirco emerit, quia  
sciebat thesaurum in eo absconditum, quem ignorabat vendi-  
tor? Interesse putat Frantzkus in *D. de action. empt. n. 214. & seqq.*  
num CASU FORTUITO, an DATA OPERA scientiam the-  
sauri adeptus sit. Priori casu totum emptori, posteriori autem  
venditori tribuit. Rationem diversitatis ibidem offendet.  
Junge Harprecht, ad §. 39. tit. *Instit. de rer. divis. n. 10. & seqq.* Sed  
quid si thesaurum in fundo alterius inopinatō inventum jam  
apprehenderit quisquam, eundemq; iterum occuluerit, inten-  
tione emendi prædium, ut integrum sibi acquireret thesaurum?  
Partem thesauri venditori reddendam esse arbitror, eo nempe  
tēpore occupati, quo venditor adhuc erat illius fundi doming.

XII. Hoc quoq; indagare operæ pretium est, an thesau-  
rus in eo fundo repertus, qui ex lege venditionis redemptioni  
est suppositus, emptori acquiratur? Ita sentio cum Perezio in  
*C. de thesaur. n. 12.* Accidit quippe dominio, ut revocetur non-  
nunquam. Ergo non ideo minus rectè quid nostrum est, si ab-  
ire à nobis dominium speretur, l. 66. *D. de rei vindic. Habn. in  
D. de acquirend. rer. domin. n. 3. sibi: est etiam verum.* De thesauro  
à marite in fundo dotali invento. evolve Colleg. Argentor. *sub  
tit. de A. R. D. in fin. tb. 49.*

XIII. Sed nec hic dicendi finis est. In memoriam etiam revocandum, quod dominium sit vel plenum, vel minus plenum. Hoc porro à reservatione juris alicujus in re alteri concessa subdividitur non in subidè ab Hahnio in *disposit. Pandect. sub tit. de public. action. ut & in D. de A. R. D. num. 4.* in directum, & utile, quicquid in contrarium videatur Treutlero *Vol. 1. disp. 15. rb. 1.* cuius rationem ibi infringit Bachovius.

XIV. Queritur inde, an utile, num directum dominium circa jus inventi thesauri superius sit? Utile dominium præponderare arbitror. Vasallo itaq; totus cedit thesaurus, què ipse in fundo feudali offendit, respectu domini utilis, quod omnia ad se tradit emolumenta rei, *D. Georg. Adam. Struv. cap. 12. Syntagm. jur. Feudal. aphor. 5. & in exeg.* Idem juris est in emphyteuta, non in usufructuario, nec in creditore, per ea quæ Perez. tradit in *C. de thesaur. n. 7.* Confer *D. Carpzov. jurisprud. forens. part. 2. constit. 53. def. 6.*

XV. Sed quid si dominus in fundo alteri in feudum concessio fortè invenerit thesaurum? Partem dimidiam vasallus feret. Eandem thesauri fortuiti portionem ab extraneo inventore exhiberi vasallo convenit, *Schneidew. Comm. Instit. § 39. de rer. div. n. 6.*

XVI. Jam ordinis, ut & textus propositi ratio postulat, ut à licita ad illicitam thesauri investigationem convertar, quæ sceleratis ac puniendis sacrificiis, & aliâ qualibet arte legibus odiosa in lege nostra fieri dicitur. Meminit ejusmodi veterum sacrificiorum *Gothofredus ad l. 13. D. ad L. Cornel. de sicar. lit. 1. ut & Henricus Cornel. Agrippa de incertit. & vanitat. scientiar. cap. 44. 45.* Adde *Perez. in C. lib. 1. tit. XI.*

XVII. Si verò quisquam susq; deqve habens sanctionem presentem magicis artibus thesaurum in proprio loco inquirere conatus fuerit, thesaurus quidem totus post sententiam, fisco vindicatur, *Perez. in C. tit. de thesaur. n. 3.* & inventor, tanquam maleficus, plectitur. Pœnæ autem designatio commodius fieri nequit, quam si distinctum cum *D. Carpzov. part. 1. pract. criminal. qu. 48. n. 10.* inter PACTUM malefactorū cū Satana  
EXPRES-

EXPRESSUM, & TACITUM. Illud perficitur, dum maligni homines albo veneficorum dant nomina sua, omnipotenti Deo, creatori suo, renunciant, fœdus baptismi rescindunt, & filium Dei abnegant, ejusque beneficia detestantur; contra Diabolo homagium præstant, obsequium perpetuum promittunt, & sese cum anima & corpore æternæ damnationi mancipant. Confer Jodocum Damhouder. *cap. 6. ser. crimin. n. 15.* At tacitam sive implicitam pactionem voco, quâ tenentur omnes alii, qui absq; fœdere expresso quid commercii & consuetudinis habent cum Diabolo, quive scientes superstitionis observationibus adherent, & artibus legibus odiosis utuntur. Prius patenti ignis supplicio dignum est: posterius pro qualitate criminis commissi meretur pœnam, ut latè persequitur Magnif. Dn. Carpov. *part. 1. P. C. qv. 50.*

XIIX. Sed num ad prohibitam istiusmodi thesauri indagacionem ea quoq; pertineat, quæ per virgulam Mercurialem fieri solet, cujus ope etiam venas metallicas perquiri sibi persuasum nonnulli habent, jucundæ est, & accommodatæ ad hunc locum quæstionis? Omni autem asseveratione id affirmare cogor, cum virgulæ huic & manifestam, & occultam operandi hac in re qualitatem deesse sentiam. Nihil itaq; fere superest, quàm virgulam in se ad inqvirendos thesauros, venasve metallicas ineptam, operatione Satanæ moveri, in eo occupati penitus, ut, cum sciat homines divitiarum esse appetentissimos, nonnullos ejusmodi mediis speciosis illaqueet, & cum periculo animæ fallat.

## CAPUT III. DE THESAURO REPERTO IN FUNDO ALIENO.

- |  |  |
|--|--|
| <p><i>I. Fundus alienus quotuplex, &amp; quot modi in eo thesaurum requirendi.</i></p> | <p><i>II. Thesauri in alieno quæsti pars nulla tribuitur inventori.</i></p> <p><i>III. Ratio istius juris.</i></p> |
|--|--|

*IV. Cur*



IV. Cui nec volente domino in alieno thesaurum querere liceat?

V. Theauri in alieno fortuito oblato dimidia pars inventori deferretur, altera domino fundi.

VI. Ratio.

VII. Non distinguitur hic inter publicum, & privatum fundum.

VIII. Pœna inventoris partem thesauri ad fiscum, aut privatam pertinentem supprimentis.

IX. Quantitas thesauri quomodo exploretur?

X. Quid in inventore sponte thesaurum deferente obtineat?

XI. Conciliatio l. 3. §. penult. D. de jur. fisc. c. 39. tit. Instit. de R. D.

XII. Thesaurus in loco sacro, aut religioso privato fortuito casu inventus demum sit inventoria.

XIII. In fundo alieno artibus magicis inventus thesaurus ad dominum fundi pertinet, non ad fiscum.

XIV. Qua actione consulatur ei, cui thesaurus totus, vel pro parte debetur.

I. Sequitur pars altera legis nostræ, quæ agit de thesauro in alieno fundo reperto. Is autem vel publicus est, vel privatus. Porro thesaurus vel datâ operâ, vel casu fortuito, vel per artes magicas inventus est.

II. In fundo quidem proprio perinde habetur, sive datâ operâ, sive casu fortuito thesaurus oblatus fuerit, at in alieno operâ in quærendo thesauro adhibitâ nullum consequitur præmium inventor. Ita quippe Imperator Leo sancit: *In alienis però terrulis nemo audeat invitis, imo nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari. Quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerator legis saluberrime puniatur.*

III. Sed de ratione forsan sollicitus eris, cum alioqui res, quæ nullius sunt, occupantium fiant, etiamsi datâ operâ in alieno quæsitæ fuerint. Rationem diversi juris hanc adducit Arnold. Vinn. ad §. 39. tit. Instit. de per. divis. n. 5. quod qui feram in ali-

eno

eno capite, aut rem, puta proderelicto habitam, tollit, nihil fundo, aut fundi domino noceat. Ad thesaurum vero perveniri non potest sine effossionibus, & manifesto damno fundi, in cuius visceribus thesaurus abditus jacet. Aliena vero effodere, inq. us latentes rimari ope, meriti veritum, & penam, non premio dignum. Conf. Perez. in C. de thesaur. n. 2. in fin. Ita neque Imppp. Gratian. Valentini- an. & Theod. AAA. passi fuere, ut aut aliena effoderet quisquam, aut in locis non sui juris per famam suspecta rimaretur, ut evincit l. 2. C. Theod. de thesaur. Quod autem de locis pri- vatis, idem de publicis quoq. sentio, *Vinn. ad §. 39. tit. Instit. de rer. divis. n. 8.*

IV. At, cur NEC VOLENTE DOMINO licentia inve- stigandi in alieno tribuatur, mirum tibi ac insolens videbitur, cum aliàs, *juxta l. 21. C. mandati*, suæ quisq. rei moderator sit atq. arbiter. Quidam ergo & in suo thesaurum ab alio nomine pro- prio quæri permittat? Certè Jacobus Concenatus *libro singular. quæstion. 4. quæst. 9. n. 45.* verba illa, IMO NEC VOLENTIBUS, penitus expungit, ut verum assequatur sensum. An rectè, ipse viderit. Ego quidem cum Hahnio *initio Comm. in D.* istud mu- tandæ lectionis cacoëthes, dum additur ex arbitrio quæquam legibus, vel adimitur, aversari malim, quam id, quod Majesta- tis est, usurpare. Quæ ergo ratio est, quod ne volentibus do- minis thesaurum in alieno loco indagare liceat? Ab utilitate publica eam derivat Perezus *in C. de thesaur. n. 4.* n. 15, qui quæ- rit thesaurum, totum agrum perfodiat, & culturam agri, Reip. maximè necessariam, evertat. Sed & si in ædibus fortè latere, existimetur thesaurus, ruina earum publicum aspectum defor- mat, quam facile promoverentis, & permittentis cupidi- tas, dum hic subitas & majores opes sperat, cum ædibus mini- mè comparandas, ille præter operam nihil perdat, si incassum laboraverit.

V. Cæterum licet ex quæsito in alieno loco thesauro nullum ferat inventor lucrum, fortuito tamen oblato dimidi- am partem non invidet ei Imperator, quod ultima legis nostræ testantur verba: *Quod si fortè vel anando, vel aliâ rekræm alienam*

G

colen-



coiando, vel quocumq; casu, non studio perferendi, in alienis locis thesaurum invenerit, id quod repertum fuerit, dimidiâ retentâ, alterâ dimidiâ datâ, cum locorum domino partiatur. Ita enim eveniet, ut unusquisq; suis fruatur, & non inhiet alienis. Derogatur itaque hac constitutione Legi 2. Cod. Theod. de thesaur. quæ in quartam tantum repertorum partem eum, qui loci dominus fuerit, admittit.

VI. Sed enim nec quartam quidem, eò minus dimidiâ reperti in alieno thesauri quantitatem domino fundi deberi dixeris, cum aliâs res nullius quovis loco occupatæ totæ fiant occupantis. Fateor quidem in rebus cæteris nullius ita servari, at in thesauro secus est. Illæ verè nullius sunt: thesaurus non est, quippe quem nemo istâ intentione abscondit, ut eum in numero rerum suarum esse nolit, sed ut tutiore loco custodiat. Tantum ideo nullius esse dicitur, quia, cujus sit, non apparet. Vero tamen simile est, eum à majoribus domini fundi conditum fuisse, cum in proprio tutius, quàm in alieno, unusquisque thesauros condi sibi persuasum habeat. Junge Vinn. ad §. 39. tit. Instit. de rer. divis. n. 6. Franzk. exerc. 4. qu. 10. n. 6. Non immeritò itaq; æqualitatè partitionis probavit Imperator Leo.

VII. Neq; refert, publicus, an privatus sit fundus, Cæsaris, num fisci, an civitatis, in quo aliquis fortuito & aliud agens invenerit thesaurum, per §. 39. de rer. divis. Omni enim casu pars eadem inventorem manet. Adde Vinn. ad dict. text. distinctionem rerum Cæsaris, fisci, publicarum, & civitatis explanantem.

VIII. Sed quid si inventor partem thesauri ad fiscum pertinentem suppresserit? Totum cum altero tanto cogitur solvere, juxta l. 3. §. ult. D. de jure fisci. Qui autem, eum in fundo privati thesaurum reperisset, domino illius debitam partem subtraxerit, suâ quidem ideo non privatur, attamen poenâ afficitur arbitrariâ, ut præjudicio firmat D. Carpzov part. 2. præf. crimin. quest. 86. n. 22. 23.

IX. At quomodo de vera thesauri quantitate constabit ubi



ubi fluxa est & dubia inventoris fides? Sub jurejurando enun-  
ciare tenebitur, quantum invenerit. Sin autem juramenti cir-  
cumvenire alios ex levitate quadam ei solenne fuerit, tortura  
subjiciendus potius, quam ut perjurium committatur, uti sentiunt  
Dan. Möller. *ad Constit. Elect. August. 53. part. 2. n. 8. 9.* D. Carpov.  
*dict. loc. n. 24. 25. ut & jurisprud. forens. part. 2. constit. 53. defin. 8.* Jo-  
hann. Harprecht. *ad §. 39. de rer. divis. n. 40.*

X. Quid si sponte thesaurum à se inventum quisquam de-  
tulerit? Utar decisione l. 1. C. Theod. de thesauris: *Quicumque  
thesaurum invenerit, & ad fiscum sponte detulerit, medietatem con-  
sequatur inventi, alterum tantum fisci rationibus tradat, ita tamen  
ut citra inquietudinem questionis omnis fiscalis calumnia conque-  
scat. Haberi enim fidem fas est his, qui sponte obtulerint, quod in-  
venerint.*

XI. Et hoc in mentem incidit, quod circa thesaurum in  
loco religioso repertum l. 3. §. penult. D. de jure fisci textui §. 39.  
tit. Instit. de rer. divis. repugnare videatur. Ibi quippe dimi-  
dia pars, hinc totus thesaurus tribuitur inventori. Enimvero  
variis omnino resolutionibus textus istos ad concordiam redu-  
cere allaborant Interpretes. Ungepauerus quippe *exerc. Ju-  
stin. 5. qu. 14.* Ludvv. & Pac. *ad §. thesauros. de rer. divis.* legem 3. §.  
penult. de loco religioso publico, vel fiscali, §. 39. de loco reli-  
gioso privato accipiunt. Nam etsi loca sacra, & religiosa nulli-  
us verè in bonis sint, ejus tamen aliquatenus existimantur, cujus  
in usu, & fundo sunt, & quodammodo juris privati. Eandem  
sententiam apprehendit etiam Vinnius *ad §. thesauros. n. 4.* Con-  
tra infringit illam Bachovius, qui ob conjunctionem loci reli-  
giosi, & sacri negat hanc interpretationem admitti posse, quod  
nulla loca, aut à deo sacra privata dici possint. At erroris facilè  
convincit Bachovium l. 9. §. I. D. ad L. Jul. pecul. Alii constitu-  
tionem Divorum fratrum in l. 3. §. penult. à Justiniano in §. the-  
sauros 39. aut, ut numerant nonnulla exemplaria, 40. iterum,  
abrogatam contendunt, quâ parte illa derogaverat edicto Di-  
vi Adriani. Cæterum id probabile non videretur Vinnio *ad dict.  
§. 39. n. 4. Nam si edictum Adriani rescripto Antonini, & Veri subla-*

eum fuisset, utiq; non quid ille, sed quid hi de thesauris in loco sacro, religiosove inventis constituisent, Justinianus comprobasset. Sed cum simpliciter edictum Divi Adriani, non facta mentione rescripti fratrum Imperatorum, referat, vix est, ut dici possit, hic aliquid novijuris ab eo constitutum esse. Alii aliter sentiunt, uti videre est apud Maximilian. Faust ab Aschaffenburg *consil. pro arar. cl. g. consil. 28. ord. 746.* Arnif. *lib. 3. de jurib. majest. cap. 6. n. 24.* Denique Dominus Carpzovius Hotomanni partes sequitur, constitutiones Imperatorum de thesauris admodum variasse, memorans *jurispr. for. part. 2. constit. 53. defn. 5. n. 6.* eamque diversitatem Triboniani incuriam nobis reliquisse. Malim tamen ego cum primis hanc controversiam transigere, quibus stipulatur quoque Harprecht. *ad §. 39. n. 7. 8. & Everhard. Bronchorst centur. 3. c. 27. 100. aff. 80.*

XII. Sed quam allegem rationem, quod thesaurus in loco sacro, aut religioso privati juris fortuito casu inventus demum inventoris fiat *per dict. §. 39.* cum tamen aliàs thesaurus in loco meo sive fortunæ munere, sive adhibito perscrutandi studio inventus meus sit? Respondeo, hoc ideo procul dubio placuisse, ne daretur occasio violandorum sepulchrorum, & aperiendi urnas defunctorum. Thesaurus itaq; ex industria in loco sacro, vel religioso inventus totus fisco acquiretur, *per text. 2. Feud. 56. Aschaffenb. dict. loc.* Certè summi Principes, quibus volupe olim fuit violare & aperire sepulchra, ingentè fortunæ mutationem experiri coacti, uti non uno exemplo prodit Richterus *in axiom. Polit. reg. 313.*

XIII. Restat, ut moneam, in thesauro per artes magicas in alieno fundo reperto nil juris æquè competere inventori, ac si in proprio repertus esset. At controversiâ non caret, an thesaurus artibus magicis in alieno inventus æquè ad fiscum pertineat? Nego cum Ludvvello *ad §. 40. de R. D. n. 3.* Domino quippe fundi nihil imputari potest, ut ipsi proinde factum inventoris damno esse haud debeat, *l. 155 D. de R. 7. Dissentit Schneid. v. in. ibid. n. 5. & præter eum Mynfingerus Schol. ad Instit. eod. loc.*

XIV. Novissimum esto, quod is, cui thesaurus totus, vel ex parte debetur, contra possidentem, restituere recusantem, rei vin-



vindicationem instituere possit, quæ omni illi competit, qui aut jure Gentium, aut jure Civili dominium acquisivit, l. 23. pr. D. de rei vindic. Harprecht. ad §. 39. de R. D. n. 41. 42. aliq, ab eo allegati. Scilicet ad fundandam in rem actionem duo extrema ponenda & probanda sunt, à parte actoris dominium, à parte rei conveti possessio, §. 1. in. Instit. de action. l. 25. pr. D. de O & A. Quid si dolo fecerit inventor, quò minus vel ante, vel post litem contestatam possideret thesaurum? Damniandus & tunc erit, quasi possideret, l. 22. l. 27. §. 3. D. de rei vindic. l. 25. §. 8. D. de petis. heredi. Placuit enim dolum pro possessione esse, & pari in omnibus jure utrumq; censerit, l. 131. l. 150. l. 157. §. 1. D. de R. J. Add. Vinn. ad §. 2. in. Instit. de action. n. 17.

CAPUT IV.

DE JURE PRINCIPIS CIRCA THESAUROS UBIQUE REPERTOS.

- |   |  |   |  |  |
|---|--|---|--|--|
| <p>I. Principi in res subditorum imperium competit, non dominium.</p> | <p>II. Jus Regi i. Sam. 8. explicatur.</p> | <p>III. Non distinguitur hic inter quæstia jure Gentium, &amp; Civili bona.</p> | <p>IV. Rationes dubitandi contra Principem thesaurum inveni-</p> | <p>grum, vel partem sibi vendicantem.</p> <p>V. Rationes decidendi pro Principe.</p> <p>VI. Jus omne Principis circa thesauros regalibus minoribus annumeratur.</p> <p>VII. Dubitandi rationes remouentur.</p> |
|---|--|---|--|--|

I. Nonnulli, dum Principi dominium in bona subditorum vindicare conuntur, non tam assentiendi vero, quam assentandi tyrannis animo negotium omne suscepisse videntur. Rectius distingvimus à dominio imperium, secuti hac in re Senecam lib. 7. de benef. cap. 4. Ad Reges, iniquentē, potestas omnium pertinet, ad singulos proprietates. Idem cap. 5. Sub optimo Rege omnia Rex imperio possidet, singuli dominio. Et hinc Boxhornius lib. 2. Instit. Polit. cap. 2. §. 3. Principis, & Domini mutuatur discrimen, dum perhibet: Principes omnia subditorum imperio possident; non dominio. Dominus autem non imperio



tantum, sed & dominio possidere se existimat, non fortunas  
salem, sed vitas etiam, ac sanguinem subditorum, adeo ut sub  
Principe obsequium cum libertate, sub domino obsequium cum  
servitute sit conjunctum.

II. Nec offendere quendam debet, aut in primam trahe-  
re sententiam id, quod de jure Regis, *Sam. 8.* legitur. A præcep-  
tis enim comminationes separat Cyriacus Lentulus in *August.*  
& exemplis ac praxi contrarium astruit. Neq; tamen hæc satis  
mihi omnino faciunt. Lubens profecto fateor, obscurum & in-  
tricatum plerisq; videri, quanta à Deo Regibus sit concessa po-  
testas, propter caput Deuteron. 17. v. 14. & seqq. & allegatum.  
modò textum *Sam. 8.* Sed n. inter MOSEN, & SAMUELEM nul-  
la contentio est. Moses enim non Populum, sed Regem institui-  
it, ejusq; describit officium: Samuel verò ejus potestatem, im-  
periiq; amplitudinem exponit. Moses imperium rectum, &  
quæ bonis Principibus sunt agenda, prodidit: Samuel obedi-  
entiam subditorum, quæq; illis toleranda sunt, declarat. Ille, Re-  
ges informando, limites imperandi, hic, subditos instruendo,  
obligationem parendi delineat, si ita exigat inevitabilis neces-  
sitas, ac publica utilitas. Ad hanc quippe ea refero, quæ de jure  
Regis apud Samuelem occurrunt, non DOMINIUM aliquod,  
sed IMPERIUM Principis exprimentia, quoties necessitati pa-  
rendum est, aut publicæ rei utilitati velificari oportet. Confer  
*Gal. 2. obs. 56.* *Fachin. lib. 3. contro. jur. cap. 63.* *Hahn. in D. de A.*  
*R. D. n. 4. ibi: Principes in bonis subditorum Limn. prolegom. ad Ca-*  
*pitulat. Imperator. sect. 2. imprimis Excellentis. D. Casp. Ziegler.*  
*de jurib. majest. exerc. 2. lib. 4. §. seqq.*

III. Nec velim hic discrimen collocare inter ea, quæ sub-  
ditorum sunt, ex GENTIUM JURE, & ea, quæ eorundem sunt  
ex JURE CIVILI, ut in hæc jus laxius Principi concedam, eti-  
am auferendi sine causa, & compensatione; in illa non item.  
Nam dominium, ex quacumq; causa ortum sit, suos semper ef-  
fectus habet ex ipso jure Naturali, ut scilicet temere auferri  
nequeat, *Grot. 3. de J. P. §. B. cap. 20. n. 9.*

IV. Igitur nec Principes jure thesauros in privatorum fun-  
dis repositos vel totos, vel ex parte sibi lumere atq; arrogare posse



posse asseverabis, quod thesaurus pertineat ad regulam juris Gentium de rebus nullius. At res nullius, modò ita affectæ sint, ut alicujus esse queant, naturali ratione occupanti conceduntur. Accedere dixeris, quod veri simile sit, à majoribus domini fundi profectum esse thesaurum. Quo ergo excusationis velo, quâ ratione eundem Princeps sibi vendicabit, cum domino fundi, eidemq; inventori, duplici titulo; inventionis nempe, jurisque à majoribus in se derivati thesaurus competat? Nec ab alio inventus Principi debetur, quoniam inventori occupatio, primus ac præcipuus rerum jure Gentium acquirendarum modus, domino autem prædii præsumptio illa absconditi à majoribus thesauri magis favet, ac jus omne Principis enervat, & tantum non absorbet.


V. Cæterum hæc, & si quæ alia adduci possunt, me neutquam movent, quò minus intrepidè statuam, Principes thesauros quocunq; loco inventos vel ex parte, vel integros non injuriâ sibi posse asserere. Impellunt me rationes, quæ partim pro Principe militant, partim subditis non iniq; thesauros denegari evincunt. Principis tuetur partes primò, quod legibus ac moribus constitui possit diversum ab eo, quod Leoni Imp. aliisve arrisit, neque ab Imp. Friderico mutatum est 2. Feud. 56. postquam res hæc tota pender ab arbitrio Principis. Valde itaq; falluntur, qui inventionem thesauri ita putant esse naturalem, ut aliud induci nequeat. Est enim naturalis pro certo rerum statu, id est, si aliter cautum non sit. Deinde thesaurum inter *ad hoc usque* numeramus. At talia quæ sunt, rectè addicuntur Principi. Inde Grotius: *Germania populicam Principibus ac Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimaverunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possent, cujusmodi sunt res omnes, quæ in dominium nullius pervenerunt* 2. de J. P. & B. cap. 8. n. 5. Atq; id nunc jus cômune est, & quasi gentium, ut idem loquitur n. 7. Rex Theuderichus apud Cassiodorum IV, 34: *Non est cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse*. Idem VI, 8: *Depositiones quoq; pecunie, quæ longâ veritate competentes dominos amiserunt, inquisitione tuâ nostris applicentur arariis, ut*  
quia

quia sua cum ceteris patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerre. Sine damno quidem inventa perdit, qui propria non amittit. Adde Vinn. ad §. 39. de R. D. n. 9. Perez. in C. de thesaur. n. 14. Et seqq. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 20. rb. 2. lit. G. Arnif. lib. 3. de jurib. majest. cap. 6. Struv. cap. 12. syntagm. jur. Feudal. aphor. 5. in exeg. n. 3. Sed nec iniquo animo istam thesaurorum ademptionem ferre possunt, aut debent subditi. Nam qui sepeliunt pecunias, constitutionibus obviant, l. 4. §. 6. D. ad L. Jul. pecul. Imo fiscus propterea tributis fraudatur, Alschaffemb. consil. pro avar. class. 10. conf. 25. ard. 790. ut Principes jure cujusdam compensationis vel partem thesauri, vel totum non iniquè sibi vendicent.

VI. Ad regalia autem minora jus omne Principis circa thesauros refero. Finis quippe jurium istiusmodi inspiciendus est, quatenus vel Majestas ipsa, vel fiscus sibi præcipuè consulti, ut inde vel majora, vel minora ea æstimare conveniat. Ex majoribus quidem nonnunquam ad fiscum aliquid pervenit, & ex minoribus dignitas imperantis illustratur, in illis tamen principaliter ipsum solum respectu sui, & quatenus tale occupatum est, in his verò quatenus externis quibusdam administrandis & subsidiis moraliter opus habet. Add. Excellentiss. D. Casp. Ziegler. exerc. 2. de jurib. majest. rb. 28. 29.

VII. Jam ut dubitationum procellas superare nitar, esse arbitror. Objicitur primò, thesaurum pertinere ad regulam juris Gentium de rebus nullius. Regeo, posse libertatè naturalem à lege civili circumscribi, & vetari, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi suà anteverti. Neque secundo movet, quod verisimile sit, à majoribus domini fundi profectum esse thesaurum. Otiosa enim res est, & legibus odiosa, pecuniam defodere, geniumque proprium, censum publicum, & ipsos hæredes defraudare, prædia ad alios sæpè transferentes. Conjectura itaque mera est, à majoribus præsentis domini fundi thesaurum esse conditum, & insufficientem ad jus Principis elidendum, quod cur injuriæ accusari non possit, satis jam

dixi. Sint itaque  
TERMINALIA!




ULB Halle  
005 122 49X

3




V317









1662 20 18.  
8 2 2

I. N. C.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JURE THESAURI,  
AD  
L. UN. C. DE THESAUR.  
QUAM  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULTATE  
JURIDICA  
IN  
INCLYTA LEUCOREA  
PRAESES  
DIETERICUS COEG/J.U.D.  
&  
SAMUEL Schütz  
AUTOR & RESPONDENS  
MECKLENBURGENSIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTUNT ATQUE  
EXHIBENT  
IN  
AUDITORIO FACTORUM  
DIE XX. AUGUSTI.  
\*\*\*\*\*  
WITTENBERGÆ,  
Typis Johannis Haken, MDC LXII.

